
PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Special Book Fund
1905
September 1899
R. W. Gibson. Inv.

GENERA PLANTARUM

METHODO NATURALI

DISPOSITA

A

LEOPOLDO TRATTINNICK

SOCIETATIS PHYSICAE GOETTINGENSIS SODALI HONORARIO.

HOMINUM COMMENTA DELET DIES, NATURAE JUDICIA CONFIRMAT.

VINDOBONAE IMPENSIS AUCTORIS.
MDCCCII.

DOCTISSIMIS CELEBERRIMIS

AC

PRAESTANTISSIMIS VIRIS

QUORUM

NOMINA HASCE FAMILIAS PRIN-

CIPALES ORNANT

IN

TESTIMONIUM SUMMAE REVERENTIAE

ET PIISSIMAE DEVOTIONIS

D. D. D.

AUCTHOR.

CONSPECTUS

FAMILIARUM PRINCIPALIUM.

I. Scitamineae Willdenowii.
II. Pteranthae Swarzii.
III. Tripetalae Jacquini.
IV. Gramina Hosti.
V. Simplices Schreberi.
VI. Cruciformes Wulfenii.
VII. Leguminosae Pallasii.
VIII. Columniferae Cavanilli.
IX. Hygrometricae Jussieui.
X. Bilabiatae Kittaibeli.
XI. Umbelliferae Rothii.
XII. Compositæ Thunbergii.
XIII. Connatae Schkuhrii.

XIV. Paradoxae Roemeri.
XV. Filices Smithii.
XVI. Musci Bridelii.
XVII. Hepaticae Humboldti.
XVIII. Lichenosae Hoffmanni.
XIX. Algae Esperi.
XX. Chamaecarpae Schraderi.
XXI. Fungi Persooni.

Contemporaneis modo hasce Familias principales adscripsi, quia ab illis consilia expetenda sunt atque auxilia. Admodum placuisset, easdem excelsis summorum Principum nominibus insignire — ast nimia Majestatis claritas me perterruit et Verecundia Admirationem superavit. Inscius scilicet dubiusque numne audacia mea utcumque benevola Illis displiceret, malui opellum omni splendore carens, quam fronte temeraria offendens dimittere.

Praefatio.

Accipite, Fautores atque Amici mei! præcipuum diligentiae meae studiique diuturni, cum innumeris propemodum omnis generis molestiis conjuncti, fructum.

Jamque modo animus praesentit, nullum me unquam pro perpetua in Vos observantia mea vel utilius vel jucundius Vobis specimen exhibiturum, atque illam praesentis Methodi plantarum expositionem, quam mendis expurgatam, integram omnibusque, quod humana feret facultas, numeris absolutam Vobis, si vita suppetit, offerre denique licebit.

Ceterum adumbrationem istam, non sine gravi labore confectam, interea ne respuatis,

precor. Dum spiritum duxero, immensum hunc campum nostrum excolere, omnique ex parte fructiferum reddere conabor.

Prius tamen, quam sublimem adeo scopum attingendi spem concipere jure possimus, prodromos praemittere atque propriam comprimis theoriam, cujus aliqui tantummodo hic loci Aphorismi exhibentur, stabilire, exponere, diversa depellere impedimenta, sparsa demum passim præjudicia refellere necessum erit.

Præter id Botanices summa utilitas animos addit, hujus elucubrationis plures editiones subsecuturas distribuendi, dum demum quamplurimæ a Mecaenatibus meis in hac disciplina egregie versatis animadversiones, benevolentissime mihi communicatæ, eam molimini meo addant firmitatem, ut jam de optato successu nec minimum dubitare necessarium videatur. Hoc opus in orbem emissurus, merita patronorum, qui consilia sua quoquo modo mecum contulerint, quaecunque illa fuerint, pro eo, quo in veritatem animi-

que gratitudinem feror, animo, nunquam non illaesa, atque intacta sanctissime servabo. Atque, cum haec adumbratio, iteratis emendationibus locupletanda, ea sola ex causa fautorum meorum judicio ac solertiae commendatur, quod opus ejusmodi adeo communis utilitatis solius uniuscujuscunque vires excedens, summam in elaboratione consensionem desideret, sine qua nullo alio modo perfici nostraeque disciplinae usui esse potest; hanc meam plantarum methodum Eruditos quosque aequo animo ac lubenti accepturos, neque minus ad eam excolendam plurimum adjumenti collaturos, confido. Cujus favoris me non penitus indignum esse, vel ex praesenti specimine elucere judico, quod non meam modo industriam, sed et singulare, quo in Botanicen feror, studium satis comprobare videri potest.

Quam praestans ac genuina haec methodus sit, plane intelligo; nihilo tamen minus rationis sat est, ut vel quibusdam rerum notionibus me destitui, vel ab ipso diuturno,

quod in hocce opere posui, studio me abripi ac seduci potuisse probe meminerim. Hinc profiteor, ac sancte promitto, me non singula tantum emendaturum, verum ab ipsa adeo concepta idea mox recessurum, siquidem stolidam eandem atque inanem esse, gravibus quis rationibus confirmet.

Sed proh dolor! sin aevi nostri genium animo et cogitatione complector, quamque incurrimus, immanem barbariem, sin atrocissima facinora, stupendam crudelitatem atque injustitiam mente considero, quæ hujus periodi historiam suo tempore turpissime notabunt, indignatus, omnem propemodum animum abjicio, quid pro ejusmodi entibus praestandi, quae quidem sapientiam suam et culturam plenis buccis praedicant, actionibus tamen suis rationem violant, omnem humanitatem exuunt et effrenatis sceleribus ipsam tellurem profanant, per quam Divina Manus tot egregios Sanctissimae Beneficentiae fructus veluti per sertum disposuit atque collocavit.

Ast non barbaris istis et prae tigridibus cruentis belluis nefarii hujus aevi, soli quin imo generi humano operam dabo atque vivam! Nullus enim dubito, meliorem generationem nostris calamitatibus edoctam secuturam esse in cujus pietate iratum Numen acquiescat. Ceterum lucri plurimum me fecisse arbitrabor, si vel paucis morum probitate praestantibus viris (quorum hodie in Botanicis major, atque in ullo civium genere numerus) gratum quid praestare potuero, cum hocce ingenii mei partu comprobem, hoc quoque in corpusculo meo latitare animum, qui pro innata dignitate sua a communi temporis hujus peste immunem se praestitit, ac illibatum. In primis scilicet probi hominis bonis et illud numeremus oportet, si sui similem quis inveniat, qui per insitam sibi integritatem, et inconcussam mentis celsitatem sibi amorem conciliare norit.

Jamque cavillantes Satyri stolidam, uti jactitant, continentiam meam, bona pace mea rideant; alii vastandi cupiditate flagrantes ex

clancularíis recessibus insidientur (prout Boa Constrictor agnellum in transitu supervenit, saliva obducit, tandemque degulat) incumbant in perniciem ac destructionem prosperitatis, quam reparare mihi proposui et pro posteris disseminare exivi! Quis non detestetur ac contemnat hujus furfuris homunciones? Summus quidam rerum omnium existit Arbiter, qui et me et res humanas et universam Naturam tuetur et regit! Malitiosa illorum molimina, ea, quae sola vera sunt, evertendi, pedemque humanis cervicibus imponendi, procellis variis jactata, justum denique naufragium facient: nil nisi perfectio atque communis rerum creatarum omnium beatitudo cum fine Summi Creatoris contingit. Victoria, quam anhelant, Victorum infamiam generabit eorumque animos acerbis invidiae stimulis urgebit; tandem illorum furor transibit atque disparebit, uti procellosa tempore matutino tempestas, quam tanto alacriori cum claritate sequitur blanda dies, Neque in eo quoque cardo noster vertitur, ut haec illave qualiscunque molitio nos-

tra exitum habeat optatum. Verae felicitatis nostrae complexus non ex Mortalium progressus est Cerebro sed ex abysso aeternae Sapientiae cunctaque amplectentis Providentiae! Proh! Individuum, punctum unicum in universo, quem coelum suo ambitu continet, mundo, quae proportio! Atque enormes illi vectes et fibrae et tympana ingentis hujus machinae adeo firmi, aequabiliter distincti, atque regulares quam longe omnes ingenii nostri vires superant! Miser homuncio! per febricitantem effervescentiam depravatae rationis moliris resistere mandatis, Ordinesque aggredi — Illius, qui haec omnia fecit!

Neque invidiae, neque Egoismi incursiones, quae non inexpectatae venient, me magnopere movebunt. Nihil usquam quaero, neque adeo multa hominibus, aetate mecum conjunctis, debere me sentio. Destinationem meam per ardua et astra sequi atque officiis fideliter satisfacere hoc est quod suspiro, quam diu sum qui sum. Quomodocunque res cadat, curas omnes Illi Soli relinquo, qui

omnia curat et gubernat 'quique hanc mihi mentem, et ingenii hos dotes indidit, ut huic potissimum disciplinæ studium meum ac operam tradere statuerim.

Jam mihi animus decelat caperata supercilia, quotquot hic illic Eruditorum carcera perlustrant, quo hic libellus mala sorte fors penetrabit. Vaeh! calamitas! Incusabunt me usurpationis, arrogantiae, scepticismi et centenorum ultra, quae coelum perterritent, vitiorum, festinabunt interpositis millenis impedimentis et obſtaculis fallacias in me intendere, originalitatem mihi, diligentiam atque animi dotes et fortasse etiam corpusque animamque abjudicare. Verum nimia eos festinatio praecipitabit; mea enim tam parum refert, utrum vel ego hujus operis auctor audiam vel alius, ut adeo nec minime abnuam, omnia, quaecunque adhuc hac in re praestiti, seu deinceps praestiturum me spero, alteri cuicunque ut rem propriam concedere, dum modo certum me reddat, eadem se et ingenii dexteritate et candida eadem mente hoc opus ela-

boraturum, quam mihimetipsi ego jure tribuere posse ac debere judicavi.

Nunc pauca demum aliqua ad huncce libellum proxime attinentia!

De hoc judicium ferentes, et hac disciplina omnino imbutos viros, et egregios Botanicos esse oportet. Qua ratione et fortuna antecessorum meorum lucubrationibus usus fuerim, facile isti judicabunt. Ad usque decem diversas methodos inspexi earumque in studio vacavi; tandem vero genera plantarum respectu harum omnium simul et semel sumptarum comparavi; quo ex labore maximum me fructum cepisse non diffiteor. Nec tamen ullius temere vestigia pressi. Maxima interim cautione opus fuerat in Babylonica illa apud hodiernos auctores nominum confusione, ut ne genera rebaptisata pluribusque nominibus descripta denuo adferrem, id, quod — praecipue, sin ea diversis forsan familiis subjungerem — lepidum non minus, atque inconsultum futurum fuisset. Neque raro etenim, ne maxime trivialia in memoriam re-

vocem, accidit, ut auctor aliquis, duorum vixdum annorum spatio intermisso, unum idemque genus vario sub nomine et in variis suae methodi ordinibus sistat quin ullam mentionem faciat rationum quibus adductus mutationem ejusmodi moliatur.

Haud satis conveniens judico, utut velim, hic loci eorum seriem auctorum texere, quos praecipuo mihi adjumento fuisse, indubitatum est. Solidis istud Botanicis referre, plane supervacaneum duco, qui iis quoque commentationibus characteribusque facili negotio supersedebunt, quos nominibus harum familiarum praeponere, sciens prudensque praetermisi. Ab aliis vero vix aut ne vix quidem emendationes utiles aut vera consilia exspectare licebit. At enim! in adumbratione quod deficit, non deerit in opere omnibus numeris absoluto! Itaque non solum istae commentationes accurate luculenterque propositae sequentur, sed etiam figurae aeri incisae ipsas illustrabunt. Hac ratione, Deo auspice, exacto fortasse Decennio, methodus haec na-

tu-

turalis integra et completa in lucem prodibit, sine quod artis curiosi necesse habuerint, plures primitivas atque immundas editiones emere, cum tamen etiam in aliis quandoque imo ipsa ultima editio nil nisi insipidam humani operis absurditatem redoleat.

Finem denique facturus, omnibus votis necessaria Eruditorum consilia iterum iterumque expeto. Qua in re ut nihil jure desiderari possit, eos pro suo, quo in saluberrimum hoc studium propendent, amore oro, atque obtestor. Sin minus, non auditus, gravamina ad altiorem Instantiam levarem, voeniamque errorum soli mihi non evitandorum devotissime petens ad humani generis atque Posteritatis aequitatem provocarem. Dabam Claustroneoburgi tertio Calendas Aprilis MDCCCII.

Positiones:

§. 1.

Methodus naturalis regni vegetabilis ea mihi plantarum dispositio audit, ex qua omnes illarum proprietates, mutuaeque similitudines adaequate dijudicari possunt.

§. 2.

In plantis observamus universim certas notas externas, quarum solummodo sequentes adeo essentiales sunt, ut in nulla specie desiderentur, scilicet: a.) Pollen, b.) Germen s. ovarium, c.) Stigma, d.) Receptaculum floris, e.) Corpus plantae f.) Fructus ex germine ortus cum interitu omnium organorum genitalium, g.) Semen, h.) Embryo.

§. 3.

Omnes reliquae Vegetabilium notae accidentales sunt et vel in plurimis, vel passim in multis vel tandem in paucis tantummodo speciebus cognoscuntur.

§. 4.

Priores, quia sine exceptione adsunt in omnibus maturis Vegetabilibus, essentiales in sensu strictissimo dici merentur: ex reliquis permultae quidem a Botanicis, quatenus nempe plurimis conveniunt, non minus essentiales vocari consueverunt, sed improprie, atque potius principales, vel eminentes dicendae essent.

§. 5.

Si penitus paucas solum plantarum species ornant, istam essentialium denominationem tanto minus merentur, quanto melius actum foret, si notas seu characteres familiares, sive divisionis nominaremus.

§. 6.

Sed omnia haec tria characterum genera

tot subeunt modificationes, quotquot existunt species.

§. 7.

Hæc tamen diversitas nihil impedit, quo minus characteres familiares in ipsa ratione aberrandi certum typum seu ordinem servent, ita quidem, ut decem vel plures species sibi invicem sint similiores, quam decem aliis, eodem charactere familiari instructis; quae tandem iterum alio modo inter sese proxime conveniunt, alioque modo aberrant.

§. 8.

Hujus autem generis characteres familiares dantur innumeri, et possunt et solent eorum plures in uno eodemque coetu specierum simul adesse.

§. 9.

Jam, si hi characteres in plantis tali ratione adessent, ut e. gr. in coetu H. characteres A. B. et C. &c: exclusive observa-

rentur deinde in coetu X. iterum totidem alii, et sic ulterius; profecto nil facilius esset, quam expositio, atque definitio familiarum naturalium in hoc, quemadmodum in reliquis Naturae regnis.

§. 10.

Verum enim vero hoc longe aliter accidit in regno vegetabili. In coetu H. observamus plures et forte 50 characteres: ex his autem vel pauci vel penitus nulli huic coetui exclusive insunt; tum etiam uti plerumque solet fieri, ex omnibus hisce 50 characteribus neque unicus est, qui omnibus ejusdem coetus speciebus conveniat. Contra: hic vel ille character e. gr. Character M. in hoc coetu ex 10 speciebus constante a novem tantummodo istius atque ulterius a forte centum speciebus aliorum coetuum observatori offertur. Imo vero alii ejusdem coetus H. penitus in unica vel duabus speciebus istius ac simul in millenis aliis peregrinorum coetuum inveniuntur.

§. 11.

Consternatio Systematicorum, ex hisce rationibus nata, praecipitatam eorundem sententiam procreavit, vi cujus certos singulares characteres principales vel familiares pro principio divisionis statuerunt, et quidem adeo exclusive, ut omnes alios respectu classificationis penitus negligerent.

§. 12.

Exinde revera innumerabiles irregularitates, disparitates, saltus, exceptiones atque contradictiones exortas esse, nemo sanus mirabitur. Scilicet, etsi forte 100 characteres apertissime poscerent, ut planta P. coetui H. adscriberetur; nihilominus tamen coetui Z. subordinari debebat, de cujus notis forte hanc solam atque unicam exhibebat, centumque aliis cum Z. heterogeneis characteribus ab illius speciebus differebat. Tamen videmus nulla habita ratione istius sterilissimi rigoris, nullum in hunc usque diem Systematicum hasce suas leges adeo fideliter observas-

se, quin frequentissimis exceptionibus integrum suum monstrosum partum in Nonens ipsemet commutasset.

§. 13.

Hunc scopulum inevitabilem forte existimabant, ast erronee! Etsi enim acies ingenii mei innumeras relationes in tam ingenti Naturae regno recte dijudicare, et statera, ut ita dicam, examinare forsitan mihimetipsi non concessit; nihilominus ex proxime sequentibus, ut non dubito, patebit, saltem Principia, quibus hoc opus superstruxi, firma atque irrefutabilia esse. Hinc philosophi botanici me magis eruditi et periti, methodum naturalem plantarum juxta hanc normam majori fortuna conficient.

§. 14.

Si Summa notarum similium speciei A. quae notae illam speciem cum coetu H. conjunguut evidenti modo major est, quam Summa notarum, per quas cum aliis aliorum coetuum speciebus convenit; tum pertinet

dicta species ad coetum H; neque obstat, etsi forte de 50 ejusdem speciei notis characteristicis singulae in pluribus vel pauciori-bus aliorum coetuum speciebus (sed non simul junctae) observarentur.

§. 15.

Pluralitas ista similitudinum, qua certa plantarum species cum certo coetu eminenter convenit, in sensu translato, non inconvenienter, naturalis plantarum affinitas vocatur.

§. 16.

Verum impossibile videtur, neque ullus unquam Naturae scrutator ausus est mathematicum tentamen harum similitudinum suscipere. Universim empyrice progrediuntur, oculorum mensurae, vel interno sensui naturalis harmoniae confidentes. Pari ratione cum omni industria mea, qua hic loci assumpta genera comparavi, atque respectu omnium relationum summa mea attentione

examinavi, tamen publice fateor, me in hoc labore ab instinctu naturali multo magis, quam a categorica rigorositate in observandis hisce legibus ductum fuisse.

§. 17.

Quatenus ergo genera, seu familiæ juxta hanc normam constitutae fuerunt, eatenus naturales dici merentur. Atque sic porro methodus, ex meris familiis naturalibus, naturaliter connexis exsurgens Methodi naturalis nomine insignienda erit.

§. 18.

Integrum quod novimus regnum vegetabile continet XXI. Familias primarias, amplitudine sat multum diversas. In singulis harum plures habemus familias secundarias. Hae iterum in minores subordinatas seu sic dicta genera dividuntur. Plurima istorum generum ulteriores divisiones et subdivisiones admittunt, donec tandem ad ipsas plantarum species descendimus. Jam eadem lex, seu principium comparationis pari modo tam

familiarum principalium, quam ipsarum specierum ultimam dispositionem continet.

§. 19.

Cum haec nostra methodus nondum ut opus perfectum, sed tantum sub forma Conspectus, s. Adumbrationis compareat, brevitatis caussa adoptata genera sub praesumptione, quod sint legitima et vere naturalia, adduxi. Ast deinceps etiam haec magnam mutationem subire debebunt. Species autem disponere plane nunc temporis nec poteram nec volebam.

§. 20.

A Canna usque ad Aegeritam, si unum genus ad alterum pari ratione accederet, ita quidem, ut Idaea Scalae naturalis, diu oblitterata, restaurari, atque in vivis revocari posset, tum sane nil nisi unicam maximam Plantarum familiam introduxissem.

§. 21.

Ast Pteranthae tantum accedunt ad Scitamineas, non Cypripedia ad Ravenalas.

Pariter Orchides succedunt Vanillis et non genus Orchis generi Aërides.

§. 22.

Ex hac demum caussa in qualibet familia secundaria illud genus frontem occupare debet, quod plurimas atque praecipuas ejusdem notas characteristicas continet et sic descendendum est usque ad illud, quod earum paucissimas aeque ac impurissimas exhibet. Proxima familia simili organismo gaudet; ut itaque primum istius genus cum ultimo familiae prioris non ita convenire debeat, ut quasi transitus per illa formetur ex praecedenti in subsequentem.

§. 23.

Quod hic loci de dispositione generum dixi, idem valet etiam de dispositione familiarum, non modo secundariarum sed etiam principalium, imo vero totius, quatenus humanum ingenium concipit, creatae visibilis invisibilisque Naturae.

§. 24.

Certa quidem genera, vel familiae sunt, quae in hac methodo non adeo bene dispositae, non ita arcte cum proximis connexae esse videri possent, uti ceterae: ast caussa hujus rei est vel defectus observationum, vel ipsa Naturae creatae non ita aequabilis compositio, quae nostrum intellectum ad Prototypon utique Summi Creatoris formatum invitet, ut meditando Divinam hanc ipsam, atque infinitam Naturam, quoad licebit, imitetur.

§. 25.

In ipsa generum dispositione ad omnes relationes animum adhibui, quotquot illarum in speciebus consideratis observare mihi licuit. Flores atque Inflorescentia, Fructus atque Semina, Radices, Caules, Folia, Stipulae, Statio, Duratio, Vernatio, Gemmatio, verbo uno: omnia simul, atque singulatim expendenda erant, antequam vel unicum genus in suo loco collocaretur.

§. 26.

Idem omnino faciendum erat in dispositione familiarum, tam subordinatarum, quam principalium. Id unum discriminis intercedebat, quod longe major hic loci abstractionis vis require batur, quum etiam in maximis coetibus unius solius speciei error omnem elegantiam destruat, totamque methodum perturbet.

§. 27.

Praedecessores meos, Tournefortium, Hallerum, Linneum, Scopolium, Erxlebenum, Neckerum, Moenchium, Crantzium, Jussievium, Ventenatum aliosque tanto cautius sequi opportebat, cum jam in primo intuitu appareret, illorum methodos cum contradictione denominationis non vere naturales sed maxima ex parte artificiales esse, in quibus certas notas characteristicas exclusive pro principio dispositionis elegerunt. Interea tamen ut fragmenta egregiam operam mihi navarunt, adeo, ut grato cum animi sensu

fatear, praeter ceteros Vetenati (*) praestantissimam chartam botanicam summo mihi adjumento fuisse, laborumque meorum terminum mirifice promovisse.

§. 28.

Ceterum multa hic loci genera silentio praetereunda erant eo, quod mihi adhucdum occasio non fuerit, illa tam accurate examinandi, quam necessarium fuisset, ut ea pari cum certitudine ac reliqua disponere licuisset. Horum tamen loco Amici forte totidem novorum generum observabunt, in aliis methodis usque adhuc desideratorum, quae ab eruditissimis viris et maximi momenti Botanicis nostri aevi, e. gr. Smithio, Jacquino, Swarzio, Persoono, Hoffmanno, Schradero,

(*) Carte botanique de la Méthode naturelle d' A. L. Iussieu, rédigée d' aprés le Tableau du Régne vègétal publié par E. P. Ventenat, en 4 Volumes in 8. avec des planches. A Paris. de l' Imprimerie de la Republique. Ventôse an IX.

Rothio etc. non multo abhinc tempore in lucem protracta, ac vulgata sunt. Nolui temerarius pericula subire, eo minus, quod praestet, pauciora, eaque satis elaborata, quam sesquipedalia opera, quae sibi non satis constent, publici juris facere. Nunquam non adhibitis amicorum emendationibus, in perfectionem hujus operis contendam.

§. 29.

Unica tantum existit Methodus Naturalis, quo nomine indigna est omnis qualis cunque methodus, quae corpora naturalia non ita disponit, ut in ipsa rerum Natura per characteres, sibi invicem similes plus minus propinquae, seu affines efficiantur. Certa itaque regula pretii hujus methodi est facilitas, ex eadem dictas relationes atque similitudines primo quasi intuitu perspiciendi.

§. 30.

Qui omnem operam in hanc Methodum semper contulerunt, iis illa etiam in examinandis et definiendis plantarum speciebus ma-

xima

xima certitudinis et praecisionis commoda suppeditabit. Interim hic longe non est ultimus finis quem prosequitur.

§. 31.

Legitima discussio ac dijudicatio affinitatum naturalium in regno vegetabili diversa Naturae mysteria explicat et illustrat, quae profecto majoris momenti sunt atque ea omnia, quae summi in hac disciplina auctores et principes in hunc usque diem praestiterunt. Iterata hujus operis castigatio et ultima denique manus satis superque praesagitionis hujus veritatem vindicabit.

§. 32.

Interea perquam optandum esset, ut egregiae atque summa cum diligentia elaboratae Monographiae quantocyus absurdam illam innumerabilium Florarum memoriam abolerent: ab illis etenim solis vera utilitas et stabiles studii nostri progressus exspectari debent.

§. 33.

Qui brevi temporis spatio de vero sese

hujus methodi pretio convincere cupiunt, herbaria, vel hortos botanicos ad illius normam disponant, necesse est.

§. 34.

Sed prae omnibus ita disposita collectio botanica composita speciminum siccarum, fructuum, seminum, lignorum, radicum, florum etc: exoptatam comparabit cognitionem et intelligentiam, quae abs dubio plurimas et necessarias hujus adumbrationis emendationes luce clarius explicabit.

Familia Prima.

Scitamineae Willdenovii.

(Caroli Ludovici Willdenow Professoris Berolinensis novissima editione Specierum plantarum celeberrimi.)

I. Cannae:
- Canna.
- Kaempferia.
- Maranta.
- Alpinia.
- Curcuma.
- Amomum.
- Costus.
- Thalia.

II. Strelitziae:
- Strelitzia.
- Heliconia.

III. Ravenalae:
- Ravenala.
- Musa.

Familia Secunda.

Pteranthae Swarzii.

(Olavi Swarz Sueci M. D. Prof. instit. Berg. per Floram Indiae Occidentalis de rebus botanicis optime meriti.)

I. Cypripedia:
Cypripedium.
II. Vanillae:
Vanilla.
Epidendrum.
Cymbidium.
Limodorum.
Dendrobium.
Lepanthes.
Stelis
Aerides.
III. Orchides:
Orchis.
Disa.
Satyrium.
Neottia.
Epipactis.
Ophrys.
Malaxis.
Arachnites.
Helleborine.
Serapias.
IV. Arethusae:
Arethusa.
Cranichis.

Familia Tertia.

Tripetalae Jacquini.

(Nicolai Josephi a Jacquin speciosissimis quamplurimis operibus botanicis immortalis, Professoris olim mei maxima, quae esse potest, veneratione digni.)

I. Hydrocharides:
- Hydrocharis.
- Sagittaria.
- Stratiotes.
- Valisneria.
- Alisma.
- Tradescantia.
- Commelina.

II. Bromeliae:
- Bromelia.
- Pitcairnia.
- Tillandsia.
- Urania.

III. Irides:
- Iris.
- Sisyrinchium.
- Moraea.
- Xiphidium.
- Wachendorfia.
- Ferraria.
- Gladiolus.
- Ixia.
- Croccus.
- Galaxia.

IV. Narcissi:
- Narcissus.
- Pancratium.

V. Eucomides;

Eucomis.
Helonias.
Melanthium.
Scilla.
Lachenalia.
Hiacinthus.

VI. Haemerocalles:
Haemerocallis.

VII. Yuccae:
Yucca.
Tulipa.
Erithronium.
Frittillaria.
Imperialis.
Lilium.

VIII. Amaryllides:
Amaryllis.
Haemanthus.
Polianthes.
Mauhlia.
Colchicum.
Alstroemeria.
Crinum.

IX. Galanthi:
Galanthus.
Leucojum.
Strumaria.

X. Albuccae:
Albucca.
Asphodelus
Anthericum.
Phormium.
Allium.
Dianella.
Gethyllis.
Eriospermum.
Drimia.
Hypoxis.
Ornithogalum.

XI. Cyanellae:
Cyanella.

XII. Dracaenae:
Dracaena.
Alethris.
Sanseviera.
Veltheimia.

Cyrtanthus.
Agave.
Aloe.
XIII. Gloriosae:
Gloriosa.
XIV. Uvulariae:
Uvularia.
Convallaria.
Paris.
Dioscorea.
Asparagus.
XV. Tami:
Tamus.
Ruscus.
Smilax.
XVI. Chamaeropes:
Chamaerops.
Borassus.
Thrinax.
Corypha.
Rhapis.
Coccos.
Sagus.
Elais.
Phoenix.
XVII. Veratra:
Veratrum.
XVIII. Butomi:
Butomus.
Narthecium.
Scheuchzeria.
Triglochin.
Juncus.

Familia Quarta.

Gramina Hosti.

(Nicolai Thomae Host M. D. Prof. instit. Theres. Botanici Caesarei: Agrostographiae dilucitatione omnium facile Principis, Amici atque primarii per campos Florae ducis.)

I. Hordea:
- Hordeum.
- Triticum.
- Secale.
- Elymus.
- Lolium,
- Bobartia.
- Cynosurus.
- Chloris.
- Dactylis.
- Cenchrus.
- Lappago.
- Rottboellia.
- Aegilops.
- Apluda.
- Spinifex.

II. Oryzae.
- Oryza.
- Pharus,
- Zizania.
- Ehrharta,
- Gahnia.

III. Bambusae:
- Bambusa.

IV. Avenae:
- Avena.
- Stipa.

Festuca.
Bromus.
Anthoxanthum.
Nardus.
Spartina.
Cinna.
Agrostis.
Aira.
Milium.
Arundo.
Trichoon.
Holcus.
Poa.
Uniola.
Briza.
Saccharum.
Leersia.

V. Lygea:
Lygeum.

VI. Cornuacopiae:
Cornucopiae
Pommereulla.
Anthistiria.

VII. Phlea:
Phleum.
Heleochloa.
Crypsis.
Alopecurus.
Phalaris.
Lagurus.
Aristida.
Panicum.

VIII. Digitariae:
Digitaria.
Paspalum.
Andropogon.

IX. Zeae:
Zea.
Coix.
Tripsacum.
Ischaëmum.
Olyra.
Manisuris.

X. Carices:
Carex.
Schoenus.

Scleria.
Eriophorum.
Scirpus.
Kyllinga.
Fuirena.
Cyperus.

XI. Acori:
Acorus.
Sparganium
Restio.

Familia quinta.

Simplices Schreberi.

